

*Instrumentum venditionis dei fratelli
Giacomo e Onorato de Amico, di
Potenza, a favore Urso de Abriola*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Instrumentum venditionis dei fratelli
Giacomo e Onorato de Amico, di
Potenza, a favore Urso de Abriola*

1452 novembre 19

† In nomine domini nostri Iesu Cristi, amen.
Anno a nativitate ipsius millesimo quadringentesimo
quingagesimo secundo, regnante inclito, serenissimo et
illustrissimo domino nostro domino Alfonso, Dei gratia
Aragonum, Sicilie citra et ultra Farum rege, Valencie,
Hungarie, Ierusalem, Mayoricarum, Sardinie et Corsice,
comite Barchinone, duce Athenarum et Neopatrie ac
etiam comite Russilionis et Ceritanie, regnorum vero
eius huius regni citra Farum anno decimo septimo,
feliciter, amen, die decimonono mensis novembris,
prime indictionis, apud civitatem Potencie.

Nos Iohannes Nicolaus de Inganulo de dicta civitate
ipsiusque civitatis annalis iudex pro dicto presenti anno
dicte prime indictionis, Rogerius de Lauro de terra
Acthane, provincie Principatus, incola seu habitator
civitatis nominate, puplicus ubilibet per totum regnum
Sicilie reginali auctoritate notarius et testes subscripti
de eadem civitate, viri quidem licterati et inlicterati,
ad hoc specialiter vocati et rogati presenti scripto
puplico venditionis instrumento fatemur, declaramus,
notumfacimus et testamur quod predicto die in nostri
presencia personaliter constituti Iacobus et Honoratus
de Amico eiusdem civitatis Potencie, germani ex
utroque parente, non vi, dolo malo ducti, ut dixerunt,
nec aliquibus suhasionibus circumventi, sed eorum
bona, mera, libera, gratuyta et spontanea voluntate,
sicuti eis melius utile et expediens visum fuit,
vendiderunt, alienaverunt et per fustis tradicionem
assignaverunt, iure proprio et in presenti, Ursio de
Abriola, civi Potentino, ibidem presenti pro se et suis
heredibus, ementi et recipienti terram unam scitam
et positam in tenimento eiusdem civitatis Potencie

in loco ubi dicitur vulgariter la Serra de Mendarolo, capacitatis, ut dixerunt, thumulorum duorum parum plus vel minus frumenti in semine, confinatum iuxta vineam ipsorum venditorum, fussato mediante, iuxta terram Sancti Honufrii, limite mediante, iuxta viam publicam et alios fines. Et dicti venditores prefatum emptorem in corporalem poxexionem dicte terre coram nobis per fustem induxerunt ad verum dominium et proprietatem ipsius emptoris et suorum heredum et subcessorum ad semper habendum, tenendum, possidendum, donandum, permutandum, legandum, utifruendum, nec non quocumque modo voluerit dictus emptor et sui heredes alienandum, francam, liberam et exemptam ab omni honore servitutis, cum viis ad dictam terram intrandi et exeundi atque cum omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis sibi pertinentibus quovis modo. Pro qua quidem venditione et alienatione, dicti venditores coram nobis confexi fuerunt et contemptos se vocaverunt habuisse et manualiter recepisce a dicto emptore, nomine precii, in carlenis argenti usualis pecunie Regni huius, tarenos quindecim ponderis generalis, totum scilicet precium venditionis ipsius. Promictentes dicti venditores per se eorumque heredes dicto emptori pro se et suis heredibus stipulanti litem, controversiam vel questionem aliquam de dicta terra ullo umquam tempore non inferre nec inferenti consentire vel assentire, sed dictam venditionem et omnia et singula supradicta et infrascripta firmam et ratam hebere, tenere et numcquam contrafacere, opponere vel venire per se et suos heredes aut aliquos quovis modo, in iudicio vel extra iudicium, de iure vel de facto, modo, ingenio vel tractatu, ymmo ipsam terram venditam dicto emptori et suis heredibus legitime defendere, guarentire,

disbrigare, antestare ac de evictione teneri, et proinde obligaverunt se, heredes et subcessores eorum et bona eorum mobilia et stabilia habita et habenda ubicumque scita et posita ad penam unciarum auri quatuor, medietate ipsius pene regie curie vel alteri curie ubi exinde facta fuerit reclamatio seu querela, et altera medietate dicto emptori et suis heredibus persolvenda, totiens quotiens exinde fuerit quomodolibet contrafactum, me predicto notario tamquam persona publica pro parte dicte curie et dicto emptori pro se a prefatis venditoribus penam ipsam sollempniter et legitime stipulante. Qua pena commissa vel non commissa, exacta vel non exacta seu gratiose remissa presens nichilominus instrumentum cum omnibus que in se continet in suo semper robore et efficacia perseveret, cum refectione omnium dapnorum, interesse et expensarum litis et extra litem, que fierent propterea quoquomodo, de quibus stari et credi debeat assertioni cum iuramento dicti emptoris et suorum heredum, nulla alia ratione vel probatione quesita. Et renunciaverunt super hiis dicti venditores pro cautela dicti emptoris et suorum heredum voluntarie et expresse exceptioni doli mali, vis, metus et in factum, presentis non sic celebrati contractus, exceptioni deceptionis et fraudis rei que predicto modo non geste vel aliter habite quam superius continetur et est expressum, exceptioni dicte vero pecunie non numerate, non solute, non habite et non recepte ac non boni argenti, legi resissorie qua deceptis ultra dimidiam iusti precii subvenitur et generaliter omnibus aliis auxiliis omnium iurium atque legum et iuri dicenti generalem renunciationem non valere et iuri per quod cavetur quod dicto iuri renunciari non possit, quibus et propter que dicta venditio et confexio et scripti huius tenor posset in aliquo minui vel

infringi. Certiorati primo dicti venditores, ut dixerunt, certioratione congrua de iuribus et renunciationibus eorundem, pro quibus omnibus et singulis attendendis et inviolabiliter observandis quodque predicta omnia et singula vera sunt, dicti venditores prefato emptori coram nobis recipienti corporaliter tactum prestitit ad sancta Dey evangelia iuramentum. Et voluerunt dicte partes quod si in presenti instrumento aliqua iuris clausula deficeret per quam presens instrumentum possit in aliquo delidi tacite et expresse intelligatur, et quod possit semel, bis, ter et quotiens opus fuerit refici ad consilium sapientis veritatis substantia non mutata. Preterea Iurdana de Saccho dictorum venditorum mater, mulier de Potencia, iure romano vivens sicut ceteri homines et mulieres de dicta civitate ab antiquo vixerunt et vivunt, dicte venditioni facte per dictos filios suos dicto emptori sua spontanea voluntate, ut dixit, absque metu consensit eamque ratificavit et acceptavit et renunciavit omnibus iuribus, actionibus et proprietatibus quibuscumque que sibi competere et possent competere tam in presenti quam in futurum in et super dicta terra vendita per dictos filios suos tam ratione dotium dodarii suarum forsitan promissarum, quam aliorum iurium quorumcumque et de ipsa venditione firma et rata habendo, et non contra ipsam vel partem ipsius quoquomodo venire, et proinde obligavit se et heredes et dotes suas ad penam unciarum auri quinque solvendam et stipulatam, ut supra, pro parte curie antedictae et proinde coram nobis eidem emptori presenti et recipienti ad sancta Dey evangelia corporaliter tacta iuravit Iordana predicta. Unde ad futuram memoriam dictorum venditorum preces et dicti emptoris suorumque heredum et subcessorum quorum et cuius interest et poterit interesse certitudinem et cautelam

perpetuam, factum est exinde hoc presens puplicum instrumentum per manus mei predicti notarii, signo meo solito signatum, subscriptione mei qui supra iudicis et nostrum subscriptorum testium signis et subscriptionibus roboratum.

1

2

Quod scripsi ego predictus Rogerius de Lauro puplicus ut supra notarius, qui premissis omnibus vocatus et rogatus interfui ipsumque meo solito signo signavi. (SN) Rogerius † Ego Iohannes Nicolaus de Inganulo annalis iudes qui supra. † Ego Lodovicus de Venusio testis sum. † Signum crucis proprie manus Iacobi Porcarii testis ydiote qui interfuit et scribere nescientis. † Signum crucis proprie manus Antonelli de Ciccone testis ydiote qui interfuit et scribere nescientis.

Così A, si intenda Athene

Così A, si intenda perpetuum.